

ORDO MISSAE
CARTHUSSIENSIS

Fuentes Litúrgicas

S. E. L. M.

Centro de Estudios Filosóficos Medievales

Universidad Nacional de Cuyo

Mendoza

2004

ORDO MISSAE

Sacerdos ex toto indutus ad medium Altaris paululum stat, et mentem ad Deum elevat: et osculato Altari diebus Ferialibus, vel profunda inclinatione facta diebus Festivis, pergat infra gradum Altaris ad cornu Evangelii, ibique stans lateraliter verso vultu ad piscinam incipit erectus.

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Sacerdos. Pone Dómine custódiam ori meo.

Minister. Et óstium circumstántiæ lábiis meis.

S. Confíteor Deo omnipoténti, et Beátæ Mariæ et ómnibus Sanctis, et vobis Fratres, quia peccávi nimis mea culpa per supérbiam, cogitatióne, locutióne, ópere et omissiáne, precor vos oráte pro me.

M. Misereátur tui omnípotens Deus, per intercessiáne Beátæ Mariæ et ómnium Sanctórum, et dimíttat tibi ómnia peccáta tua, et perdúcat ad vitam ætérnam.

S. Amen.

M. Confíteor Deo omnipoténti, et Beátæ Mariæ et ómnibus Sanctis, et tibi Pater, quia peccávi nimis mea culpa per supérbiam, cogitatiáne, locutiáne, ópere et omissiáne, precor te ora pro me.

S. Misereátur vestri omnípotens Deus, per intercessiáne Beátæ Mariæ et ómnium Sanctórum, et dimíttat vobis ómnia peccáta vestra, et perdúcat ad vitam ætérnam.

M. Amen.

S. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

M. Qui fecit cœlum et terram.

Kýrie eléison. **ijj.** Christe eléison. **ijj.**
Kýrie eléison. **ijj.**

Glória in excélsis Deo. Et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. ADORAMUS TE (*Hic inclinamus.*) Glo-

rificámus te. Grátias ágimus tibi propter glóriam tuam magnam. Dómine Deus, Rex cœléstis, Deus Pater omnipotens. Dómine Fili unigénite Jesu Christe. Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris. Qui tollis peccáta mundi, miserére nobis. Qui tollis peccáta mundi, SUSCIPE DEPRECATIONEM NOSTRAM (*Hic inclinamus.*) Qui sedes ad dexteram Patris, miserére nobis. Quóniam tu solus Sanctus. Tu solus Dóminus. Tu solus Altíssimus Jesu Christe. Cum Sancto Spírítu in glória Dei Patris. Amen.

Glória in excélsis dicitur omnibus Dominicis et Festis duodecim Lectionum, præterquam in Adventu usque ad Nativitas Vigiliam inclusive, et a Septuagesima usque ad Viliam Paschæ exclusive. Immaculata Conceptio tamen et Purificatio B.V. Mariæ, sicut Annunciatio Dominica, iis temporibus occurrentes, habent Glória in excélsis, etiam in Missis privatis quæ proprio die sive aliis de ipsa Solemnitate dicuntur. Item Solemnitas S. Joseph, in quadragesima occurrens, habet Glória in excélsis.

Item dicitur in Vigiliis Paschæ et Pentecostes, ac per Octavas harum Solemnitatum et Nativitatis Domini in Missis ipsarum propriis.

Dicitur etiam in Missis quæ extra Adventum et Septuagesimam dicuntur de SS. Trinitate, Spiritu Sancto, Corpore Christi, SS. Nomine et SS. Corde Jesu, B.V. Maria, (Compassione et Vigilia Assumptionis tantum exceptis) de Angelis, et Festis iijl Lectionum occurrentibus in Festis xxj Lectionum.

Porro in Missis privatis, quæ dicuntur ex devotione de Sanctis, liberum est Celebranti dicere Glória in excélsis.

Modus cantandi Epistolam, Evangelium, et in Quadragesima Flectámus genua, habetur ad calcem Missalis.

Quando Sacerdos dicturus est Evangelium in privato, stans in medio Altaris dicit junctis manibus:

Dóminus sit in corde meo, et in lábiis meis; ut recte pronúntiem Evangelium pacis. Amen.

In Missis Conventualibus Sacerdos impositurus incensum thuribulo, caput detegit, et surgit: imponendo nihil dicit, sed Diacono dicenti

Jube Domne benedícere,

Sacerdos respondet

Dóminus sit in corde tuo, et in lábiis tuis: ut recte nobis pronúnties Evangelium pacis.

Dicto Evangelis, Diaconus librum defert Sacerdoti deosculandum, antequam incipiatur Credo, aut Dóminus vobíscum, nisi præsens sit Episcopus: tunc enim Sacerdos lecto Evangelio statim incipit Credo, aut Dóminus vobíscum. Diaconum vero interea sub gradu Altaris cum Conventu inclinans ad Patrem, vel vobíscum, et utraque manu librum interposito linteo apertum tenens, pergít reverenter ad Episcopum, qui primus sacrosantum Evangelium osculatur: deinde Episcopo inclinans, cum simili reverentia ad

Celebrantem redit, eique librum osculandum offert.

Credo in unum Deum. Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibílium ómnium et invisibílium. Et in unum Dóminum Jesu Christum, Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum ante ómnia sécula. Deum de Deo, lumen de lúmine: Deum verum de Deo vero. Génitum non factum, consubstantiálem Patri per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnátus est de Spíritu Sancto et Maria Vírgine: ET HOMO FACTUS EST (*Hic osculatur Altare.*) Crucifixus étiam pro nobis, sub Póntio Piláto passus: et sepúltus est. Et resurrexit tértia die secúndum scriptúras. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et íterum ventúrus est cum glória judicáre vivos et mórtuos: cujus regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum Dóminum, et vivificántem: qui ex Patre Filióque procedit. Qui cum Patre et Fílio simul ADORATUR (*Hic inclinamus*) et conglorificátur: qui locútus est per Prophétas. Et unam sanctam, Cathólicam et Apostólicam Ecclésiám. Confiteor unum baptísma in remissionem peccatórum. Et expécto resurrectionem mortuórum. Et vitam futúri séculi. Amen.

Dicitur autem Credo in omnibus Solemnitatibus, exceptis SS. Stephani, Innocentium, Benedicti, Magdalenæ, Annæ, et

Hugonis Licolnensis, in quibus Credo non dicitur, nisi occurrant in Dominica.

Feriis etiam secunda, tertia et quarta infra Octavas Paschæ et Pentecostes non dicitur.

Dicitur in Solemnitate Sancti Patris nostri BRUNONIS: in Festis et Octavis Apostolorum et Evangelistarum, quæ duodecim habent Lectiones: et singulis totius anni Dominicis.

Dicitur etiam in omnibus Missis tam Conventualibus quam privatis, sive votivis, sive injunctis, quæ de vivis celebrantur illis diebus in quorum Missa Credo dici debet: exceptis Missis de Vigilia, et de Jejunio. Quando Sacerdos mittit aquam in Calicem dicit:

De latere Dómini nostri Jesu Christi exívit sanguis et aqua in remissionem peccatórum, in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Quando lavat manus dicit:

Lavábos inter innocétes manus meas, et circúmdabo altáre tuum, Dómine.

et duos aut tres Versus sequentes:

V. Ut áudiam vocem laudis: et enárrer univérsa mirabília tua.

V. Dómine, diléxi decórem domus tuæ: et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

V. Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

Quando offert Calicem, ad medium Altaris stans, et Calicem paulo elevatum tenens ambabus manibus, dicit:

In spíritu humilitátis, et in ánimo contríto suscipiámur a te Dómine: et sic fiat sacrificium nostrum, in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

Et faciens crucem cum ipso Calice, dicendo:

In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

deponit eum in medio corporalis.

Antequam turificet Calicem et Altare, Sacerdos tenens thuribulum elevatus super Calicem in manibus, dicit:

Dirigátur Dómine orátio mea, sicut incénsum in conspéctu tuo.

Deinde thurificat semel super Calicem et Hostiam in modum Crucis, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

et semel in modum coronæ: deinde semel ad Crucem, semel ad cornu Epistolæ, semel ad cornu Evangelii, et ter inferius ante faciem Altaris.

Quando vertit se ad populum, dicit:

Oráte fratres pro me peccatóre ad Dóminum Deum nostrum.

Singulis diebus Dominicis in quibus nulla assignatur Præfatio propria, dicitur Præ-

fatio de SS. Trinitate, Qui cum unigénito Fílio tuo, etc.

**PRÆFATIO
DE SANCTISSIMA
TRINITATE**

Quæ dicitur singulis diebus Dominicis in quibus nulla assignatur Præfatio propria.

Sacerdos, dicturus Præfationem, expansas manus sic elevat, ut summitates digitorum supra humeros aliquatenus appareant, atque in hunc modum eas tenet per totam Præfationem.

Per ómnia sécula seculórum.

R. Amen.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, Nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens ætérne Deus: Qui cum unigénito Fílio tuo et Spíritu Sancto unus es Deus, unus es Dóminus: Non in uníus singularitáte persónæ, sed in uníus Trinitáte substántiæ: Quod enim de tua glória, revelánte te, crédimus, hoc de Fílio tuo, hoc de Spíritu Sancto, sine differentia discretiónis sentímus: Ut in confessióne veræ sempiternæque Deitátis, et in persónis proprietas, et in esséntia únitas, et in majestáte adorétus æquálitas:

Quam laudant Angeli atque Archángeli, Chérubim quoque ac Séraphim, qui non cessant clamáre quotidie, una voce dicéntes.

Finita Præfatione, profunde ante faciem Altaris inclinatus, et junctis ante pectus manibus, voce intelligibili dicit

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cœli et terra glória tua: Hosánna in excélsis.

Se erigit, et signat dicens

Benedíctus qui venit in nómine Dómini: Hosánna in excélsis.

CANON MISSÆ

Sacerdos profunde inclinatus ante faciem Altaris, junctis manibus dicit

Te ígitur clementíssime Pater, per JESUM Christum Fílium tuum Dóminum nostrum, súplices rogámus ac pétimus: uti accépta hábeas et benedícas hæc ✠ dona, hæc ✠ múnera, hæc ✠ sancta sacrificia illibáta:

Expansis brachiis et manibus in modum Crucifixi prosequitur

In primis quæ tibi offérimus pro Ecclésia tua sancta Cathólica: quam

pacificáre, custodíre, adunáre, et régere dignéris toto orbe terrárum, una cum fámulo tuo Papa nostro **N.** et Antístite nostro **N.** et Rege nostro **N.** et ómnibus orthodoxis, atque Cathólicæ et Apostólicæ fidei cultóribus.

Commemoratio pro vivis.

Meménto, Dómine, famulórum famularúmque tuárum, **N.** et **N.** et ómnium circumstántium, quorum tibi fides cógnita est, et nota devótio: pro quibus tibi offérimus, vel qui tibi ófferunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque ómnibus, pro redemptióne animárum suárum, pro spe salutis et incolumitátis suæ: tibi que reddunt vota sua ætérno Deo vivo et vero.

Infra Canonem.

Communicántes, et memóriam venerántes, in primis gloriósæ semper Vírginis MARIE Genitrícis Dei et Dómini nostri JESU Christi: sed et beatórum Apostolórum ac Mátyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomæi, Matthæi, Simónis et Thaddæi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni, et ómnium Sanctórum tuórum: quorum méritis precibúsq; concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio: Per eúndem Christum Dóminum nostrum.

Amen.

Tenens manus expansas simul super oblata dicit

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias, diisque nostros in tua pace disponas: atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum iubeas grege numerari: Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, bene ✠ dictam, adscri ✠ ptam, ra ✠ tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: ut nobis Cor ✠ pus, et San ✠ guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri JESU Christi.

Extergit pollices et indices super Corporale dicens

Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas: et elevatis oculis in caelum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens bene ✠ dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes.

Hoc est enim Corpus meum.

Simili modo, postquam cenatum est accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas: item tibi gratias agens, bene ✠ dixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et bibite ex eo omnes.

**Hic est enim Calix Sanguinis mei:
novi et aeterni testamenti:
mysterium fidei:
qui pro vobis et pro multis
effundetur
in remissionem peccatorum.**

Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Expansis manibus dicit

Unde et memores, Domine, nos tui servi, sed et plebs tua sancta ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae Passionis, necnon et ab inferis Resurrectionis, sed et in caelos gloriosae Ascensionis: offerimus praeclarae majestati tuae de tuis donis ac datis, hostiam ✠ puram, hostiam ✠ sanctam, hostiam ✠ immaculatam: Panem ✠ sanctum vitae aeternae, et Calicem ✠ salutis perpetuae.

Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere: sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justis Abel, et sacrificium Patriarchae nostri Abraham, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Inclinatus ante Altare, cancellat manus dicens

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare

tuum, in conspéctu divínæ majestátis tuæ: ut quotquot (**Hic osculatur Altare.**) ex hac altáris participatióne sacrosánctum Fílii tui Cor ✠ pus, et Sán ✠ guinem sumpsérimus, omni bene ✠ dictiÓne cœlésti et grátia repleámus: Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Commemoratio pro Defunctis.

Meménto étiam, Dómine, famulórum famularúmque tuárum, **N.** et **N.** qui nos præcessérunt cum signo fidei, et dórmiunt in somno pacis. Ipsis, Dómine, et ómnibus in Christo quiescéntibus, locum refrigerií, lucis, et pacis, ut indúlgeas deprecámur: Per eúndem Christum Dóminum nostrum.

Hic tangit pectus, dicens

Nobis quoque peccatóribus fámulis tuis, de multitudíne miseratiÓnum tuárum sperántibus, partem áliquam et societátem donáre dignéris cum tuis sanctis Apóstolis et Martýribus: cum Joánne, Stéphano, Matthía, Bárnaba, Ignátio, Alexándro, Marcellíno, Petro: Felicitáte, Perpétua, Agatha, Lúcia, Agnéte, Cæcília, Anastásia, et ómnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consórtium non æstimátor mériti, sed vénia, quæsumus, largítor admítte: Per Christum Dóminum nostrum..

Per quem hæc ómnia, Dómine, semper bona creas, sanctí✠ficas, viví✠ficas, bene✠dícis, et præstas nobis. Per✠ipsum, et cum ip✠so, et in ip✠so, est tibi Deo Patri

omnipoténti in unitáte Spíritus Sancti omnis honor et glória.

Per ómnia sécula seculórum.

R. Amen.

Oremus.

Præcéptis salutáribus móniti, et divína institutiÓne formáti audémus dícere.

Pater noster qui es in cœlis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua sicut in cœlo et in terra. panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra: sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiÓnem.

R. Sed líbera nos a malo.

Sacerdos respondet intelligibili voce,
Amen.

Líbera nos, quæsumus Dómine, ab ómnibus malis, prætéritis, præséntibus, et futúris: et intercedénte beáta et gloriósa semper Vírgine Dei Genitríce MARIA, cum beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, ✠ atque Andréa, et ómnibus Sanctis, da propítius pacem in diébus nostris: ut ope misericórdiæ tuæ adjúti, et a peccáto simus semper líberi, et ab omni perturbatiÓne secúri, Per eúndem Dóminum nostrum JESUM Christum Fílim tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus:

Per ómnia sécula seculórum.

R. Amen.

V. Pax ✠ Dómini sit ✠ semper vobis
✠ cum.

R. Et cum spíritu tuo.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

Sequitur Oratio ante sumptionem Sacramenti, quam dicit profunde inclinatus ante faciem Altaris.

Dómine JESU Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperante Spíritu Sancto, per piísimam mortem tuam univérsum mundum vivificásti: líbera me per hoc sacrosánctum Corpus, et Sáanguinem tuum, a cunctis iniquitatibus et peccátis, et a cogitationibus pervérsis: líbera me ab ómnibus malis præteritis, præsentibus, et futúris: et fac me tuis semper obedíre mandátis, et a te nunquam separári permíttas, Salvátor mundi: Qui cum eódem Patre in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti vivis et regnas Deus, per ómnia sécula seculórum. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, dona nobis pacem.

Post ultimam Orationem dicto Dóminus vobíscum, ac responso Et cum spíritu

tuo, dicitur pro Missæ qualitate. Ite Missa est, si dictum fuerit Glória in excélsis. Tempore Paschali additur allelúia, allelúia. Vel Benedicámus Dómino, si non dictum fuerit Glória in excélsis. Tempore Paschali additur allelúia, allelúia.

Vel si Missa sit de Defunctis, Requiescant in pace.

Finita Missa Sacerdos profunde inclinatus ante faciem Altaris dicit junctis manibus

Pláceat tibi, sancta Trínitas unus Deus, obséquium servitútis meæ: et præsta ut hoc sacrificium laudis, quod indígnus in conspéctu divínæ majestátis tuæ óbtuli, tibi sit placens: mihíque et ómnibus, pro quibus illud óbtuli, sit te miseránte propitiábile in vitam ætérnam. Amen.

Qua Oratione completa osculatur Altare in medio, erectusque se signat: inclinatur, et cooperto Altari quando cooperiendum est cum Diacono, abit.

Quando vero aliqua hora illico in Conventu sequitur, Deus in adjutórium ad Epistolæ cornu incipere debet statim post responsum a Conventu Deo grátias: et Conventu respondente Dómine ad adjuvándum, dicit prædictam Orationem, Pláceat tibi, etc.